

manum movere prorsum; atque adeo per accidens, nempe secundum partem moveris contrario motu. Similiter dum navi veheris versus unum locum, potes ambulare in ea versus partem contrariam. Denique Christus Dominus in Eucharistiæ contrarijs simul ac diversissimis motibus movetur per accidens, videlicet ratione specierum sacramentalium diversarum.

Si vero sermo sit de motu alterationis negant, multi saltem naturaliter fieri posse, ut idem subjectum secundum eandem partem moveatur ad contrarias qualitates, ut v. g. simul calefiat, et frigeat (1). Alii vero distinguunt inter qualitates intensas et remissas; affirmantque posse aliquid moveri simul duplici motu alterationis secundum contrarias qualitates in gradu remisso, negant in gradu intenso (2).

Plura de his require, si lubet, apud Aristotelem et S. Thomam ac reliquos interpretes (3).

ARTICULUS VI.

De distinctione moventis ac mobilis, ubi in controversiam vocatur veritas illius effati:

OMNE QUOD MOVETUR ALIO MOVEATUR.

De causis motus quaedam indicantur.

308. Posset hic de causis motus disputari, quæ quatuor omnino, ut in Ontologia vidimus, solent distingui: *efficiens*, *finalis*, *materialis* et *formalis*, de quibus nunc quæstio institui posset. Verum formalis causa motus nulla est, sed ipsa est forma quædam imperfecta, cujus hactenus declaravimus naturam. Finalis causa motus satis patet ex dictis de triplici prædicamento, ad quod terminari potest: finis quippe motus nihil est aliud, quam terminus qui motu attingitur.

(1) Ita v. g. Complutenses (*Physic. disp. 24, quæst. 2*), Cardin Aguirre (*Physic. disp. 32, sect. 4, num. 43*), Goudin (*Physic. part. 1, disp. 3, quæst. 1, art. 5*).

(2) Ita Suarez (*Metaph. disp. 45, sect. 4, num. 10 seqq.*), Conimbricens. (*de Generat. et Corrupt. lib. 2, cap. 3, quæst. 8*), Joannes a S. Thom. (*Physic. quæst. 19, art. 5 fin. 1*).

(3) *Physicor. lib. 5, cap. 6*; S. Thom. *ibid. lect. 9*.

Causa motus materialis est subjectum seu mobile, de quo id solebat apud veteres disputari utrum debeat esse divisibile ita, ut ens indivisibile in genere quantitatis, v. g. punctum, linea, superficies, nequeat *per se* moveri: quam controversiam, quia nec maximi momenti videtur esse, omittendam esse nobis, jam ad finem hujus libri properantibus, arbitratur. Communius censent auctores cum Aristotele et S. Thoma, quod si dari posset, indivisibile materiale et quantitativum, non posset moveri. Contradicunt tamen Scotistæ et alii (1). De causa efficiente motus seu motore, certum in primis est, quod motus non sit materiæ essentialis, ac proinde a motore aliquo ipsi imprimatur. Constat id ex eo, quod si motus essentialis foret materiæ, non posset hæc esse, nec concipi absque motu, cum tamen compertum sit posse materiam esse in quiete: qua de re plura dicentur inferius agendo de motu locali, de quo major esse potest difficultas. Deinde dicendum est Deum posse imprimere, ac de facto impressisse initio motum materiæ; quod vero causæ quoque creatæ possint motum efficere, partim ex demonstratis in *Ontologia* contra occasionalismum, partim ex dicendis mox de corporum activitate, in dubium revocari nequit.

Illud ergo solum hic disputandum est, utrum movens et mobile distingui debeant, vel utrum nihil omnino possit seipsum movere, ac proinde utrum verum sit, effatum illud: *Omne quod movetur, ab alio movetur*. Hoc unum est ex celeberrimis inter Peripateticos pronuntiatis, quo Aristoteles usus est ad probandum (2) ex consideratione sensibilis motus existentiam primi cujusdam motoris immobilis, Dei, a quo cætera cuncta moveantur. Idemque principium mox

Utrum omne quod movetur, ab alio moveatur.

(1) Vide Aristot. (*Physicor. lib. 6 cap. 10*), S. Thom. (*ibid. lect. 12*), Mauri (*Aristotelis Opera omnia... brevi paraphrasi etc. lib. 6, cap. 12*), Conimbricens. (*Physicor. lib. 6, cap. 10 quæst. unic.*), Rubium (*ibid. quæst. unic.*), Mastrium (*Physicor. disp. 15, quæst. 8, art. 1*), Suarez lusitanum (*Physic. tract. 6, disp. 1, sect. 2, paragr. 1*), Alamanni (*Summa philos., prima secundæ, quæst. 24, art. 2*), Rhodes (*op. cit. lib. 2, disp. 6, quæst. 2, sect. 5, paragr. 1*), De Benedictis (*tom. 2, lib. 3, quæst. 7, cap. 6*).

(2) Aristot. (*Physic. lib. 7, cap. 1 et lib. 8, a cap. 4, text. comm. 27*). Vide ibi S. Thom. (*a lect. 7*), et reliquos interpretes.

S. Thomas (1) et alii Scholastici adhibuerunt ad demonstrandam Dei existentiam; et eodem perperam intellecto posset quis et libertatem hominis et veritatem ac rationem vitæ impugnare. Si enim quidquid movetur, ab alio movetur, quomodo potest aliquid *seipsum movere*, aut quomodo potest *seipsum determinare* ad aliquid agendum vel non agendum? Atqui vita in eo consistit, quod aliquid gaudeat principio seipsum movendi, libertas vero importat potentiam seipsum determinandi ad actionem vel actionis omissionem. Operæ pretium itaque est istius effati veritatem ad trutinam revocare.

Rationes
contra citatum
istud
proponuntur.

Scotistæ (2) cum Scoto, Antonio Andrea, Gregorio, Janduno, Plaza et aliis (3), concedunt quidem sæpe movens et mobile distingui, negant tamen id semper fieri vel necessarium esse: afferuntque non paucas instantias et exceptiones. Primo enim proprietates ac potentiæ naturales, v. g. intellectus et voluntas, a natura dimanant, et in eadem recipiuntur. Ergo unum idemque est agens vel movens et passum seu mobile. Idem patet secundo in motibus corporum elasticorum. Tertio in motibus physicis, nam gravia et levia se movent, ac magis proprie adhuc viventia dicuntur, fatentibus omnibus, se movere. Quarto in motu locali cordis, qui videtur ab ipso corde procedere. Quinto denique in actionibus immanentibus cognoscendi et amandi, quas idem principium, v. g. eadem anima, elicit, ac recipit.

Communissima
sententia
affirmans.

Hiscæ tamen non obstantibus communissima tenet sententia principium illud aristotelicum posse tamquam universalissimum accipi, saltem relate ad motum physicum (4):

(1) Vide S. Thom. 1. p. quest. 2, art. 3; *Contr. Gent.* lib. cap. 13; *Compend. Theolog.* cap. 3.

(2) Vide Mastrium (*Physic.* disp. 15, quest. 8, art. 2), Pontium (*Physicor.* disp. 19, quest. 1), Frassen (*Physic. de Motu*, quest. 4).

(3) Apud Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 7, num. 5), et Mastrium (loc. cit. num. 98).

(4) Vide S. Thom. (locis citatis; et *Physicor.* lib. 7, lect. 1: lib. 8, lect. 13, paragr. e, d), Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 7), Conimbrienses (*Physicor.* lib. 8, cap. 1, quest. 1), Rubium (ibid. lib. 8, cap. 4, quest. 1), Mauri (in Comentar. Aristot. lib. 7 et 8 citat.; et *Question. philos.*, *Physico-Metaphys.* quest. 8), Fasolum (In 1.^{am} part. quest. 2, art. 3), Ulloa (*Prodróm.* disp. 4, cap. 8, num. 203), Alamanni (*Summ.*

quamvis alii aliter rem explicant, et quidam etiam forte in hac explicatione videantur prima semina jacere physicæ præmotionis, et in quibusdam etiam fortasse non sit controversia de re ipsa cum Scotistis.

Ut mentem nostram clarius aperiamus, notandum 1.^o est, hanc propositionem universalem: *Quidquid movetur, ab alio movetur*, intellectam videri ab Aristotele de motu physico ac proprio, ut eruitur ex toto contextu et expositione interpretum (1). Veritas ergo principii hujus præcipue in motu physico perpendenda est, quamquam explicari etiam postea potest, quomodo locum habeat in motu quoque latius accepto. 2.^o Nec rei veritas exigit, neque ea fuit Aristotelis mens, ut movens et mobile vel passum debeant supposito distingui, vel esse duo supposita distincta. Quin potius Philosophus discrete contrarium docet in libris *Physicorum* (2): unde infert, idem posse movere seipsum, si distinguatur in partem per se moventem, et partem per se motam ita, ut alteram altera moveat, quo pacto animalia movent seipsa motu locali, et fere eodem modo movent se viventia motu augmentationis, quia directe agunt in alimentum, quod in se convertunt, sibi que assimilant, et uniunt, et sic augescunt. Potest ergo movens et mobile esse unum supposito, dummodo una pars ejus moveat, et altera moveatur. 3.^o Variis modis intelligi et fieri potest, ut in eodem supposito, seipsum movente, distinguatur motor a mobili: primo secundum diversas partes integrantes, sicut in animali pes a reliquo corpore. Deinde secundum diversas partes substantiales et essentielles, ut si per formam agat, vel moveat, ac per materiam recipiat motum: qui duo modi locum habere

Quædam
notanda.

philos., prim. secund. quest. 24, art. 3), Joannes a S. Thoma (*Physic.* quest. 22, art. 1), Goudin (*Physic.* part. 1, disp. 3, quest. 6, art. 1), Cardin. Aguirre (*Physic.* disp. 40, sect. 2), Rosselli (*Summ. philos.* tom. 2, quest. 23, art. 2).

(1) Vide S. Thom. (1 p., quest. 2, art. 3, in prima ratione; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 13), Toletum (*Physicor.* lib. 7, cap. 2, text. 10), Conimbrienses (ibid. lib. 8, cap. 1, quest. unic., art. 2.^o initio), Rubium (ibid. lib. 8, cap. 4, quest. 1, num. 47), Suarez (loc. cit. num. 11).

(2) Vide lib. 7, cap. 1; et lib. 8, cap. 4.

possunt solum in corporibus, non autem in substantiis spiritalibus, utpote quæ carent partibus sive integrantibus sive essentialibus. Tertio, motor a mobili ita distingui potest intra idem suppositum, ut saltem alia sit facultas agendi et alia recipiendi: quæ distinctio potest esse vel adæquata vel inadæquata, qualis versatur inter includens et inclusum. 4.^o Cæterum controversia non est de distinctione rationis dumtaxat, sed de reali: sicut enim actio ipsa et passio ac motus, licet re identificate, ratione tamen distinguuntur, ita etiam movens et mobile saltem conceptu distingui necesse est.

309. PROPOSITIO 1.^o Quidquid movetur, ab alio movetur, saltem si sermo sit de proprio ac physico motu.

Si sermo sit de motu physico, verissimum est, quidquid movetur, ab alio moveri.

Prob. 1.^o *Nihil idem est simul in actu et potentia respectu ejusdem. Sed omne quod movetur, in quantum hujusmodi, est in potentia, quia motus est actus existentis in potentia, secundum quod hujusmodi. Omne autem quod movetur, est in actu, in quantum hujusmodi, quia nihil agit, nisi secundum quod est in actu* (1). Ergo nihil est respectu ejusdem movens actu et motum; et sic nihil movet seipsum. Ita S. Thomas ex Aristotele (2).

Dices cum Scotistis, nihil quidem posse esse simul in actu formali et in potentia formali, seu nihil actu possidens formam aliquam esse in potentia ad eandem; verum nihil obstat, quominus aliquid sit in actu *virtuali* vel *eminentiali* et simul in potentia formali, nempe habere vim eminentem ad efficiendam talem formam, et capacitatem ad recipiendam formaliter illam. Sicut enim agentia æquivoca produciunt effectus, quos non continent in se formaliter, quid vetat ut aliquid per motum in seipso efficiat formam aliquam, quam prius non habebat formaliter, sed solum virtutem illius effectricem? Ratio ergo adducta ex Aristotele non videtur efficax.

Respondeo nego prorsus assertum. Ponamus enim agens aliquid habere solummodo formam virtuales, per quam se ipsum moveat ad dandum sibi actum formalem alicujus novæ

(1) Vide *Ontolog.* num. 390, pag. 1113.

(2) S. Thom. (*Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 13, *Tertio probat sic*). Et est ratio Aristotelis (lib. 8. *Physicor.* cap. 5, text. comm. 40).

formæ: forma hæc vel esset naturalis subjecto, vel violenta, vel indifferens ac neutra. Si naturalis, semper habebit eam, ex quo existit subjectum illud; erit enim proprietates connaturalis illius, proprietates autem naturales semper comitantur rem, saltem nisi adsit aliquod impedimentum. Jam vero proprietates rei quamvis dimanent a natura, non tamen tribuuntur ipsi naturæ saltem tamquam causæ principali, sed agenti externo, quod talem naturam produxit, quemadmodum tenet communis sententia, et fuse declaratum est in *Ontologia* (1). Ergo quamvis ad formalem existentiam proprietatum naturalium sufficiat virtus eminentior illarum effectrix, perperam exinde inferri potest posse aliquid seipsum movere, vel esse aliquid respectu ejusdem in actu simul et potentia. Quod si proprietates ejusmodi ob impedimentum aliquod externum illico non pullulet, statim ablato impedimento pullulabit, prout postulat status illius connaturalis. Si autem forma illa vel terminus motus sit violentus, non potest dari in ipso mobili vel passo virtus intrinseca eminentialis ad illum habendum, sed necessario provenit ab extrinseco, ut constat ex ipsa notione violenti superius explicata: est enim violentum, quod procedit ab extrinseco, passo non conferente vim. Denique virtus in mobili existens nequit per seipsam efficere formam vel terminum neutrum vel indifferenterem, qui nec sit naturalis nec violentus. Nam virtus in mobili existens, quoniam sermo est de virtute naturali productiva motus physici proprie dicti, necessario agit, quantum potest. «Ergo vel invenit in subjecto suo dispositionem naturalem repugnantem suæ actioni, et sic ejus actio esset violenta: vel nullam invenit repugnantem dispositionem, et sic erit dimanatio naturalis, quia est ab interna et nativa qualitate et ex interna naturæ necessitate. Unde si quæ datur alteratio vel actio ad qualitatem indifferenterem, ut est illuminatio in aère, semper ac necessario est ab extrinseco agente. Et ratio est clara, quia si sit ab intrinseca forma vel immediate vel mediante aliqua qualitate connaturali eidem formæ, jam non erit indifferens, sed connaturalis illa qualitas» (2). Maneat

(1) Vide *Ontolog.* num. 321 seqq., a pag. 925.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 7, num. 18, ubi fuse refutata videri potest solutio ista Scotistarum, a num. 14 ad 20.

ergo firmum argumentum Aristotelis ac S. Thomæ ad probandam distinctionem moventis ac mobilis, ex eo petitur, quod nihil potest esse simul in actu et in potentia respectu ejusdem.

Prob. 2.^o Cum eodem Aristotele per inductionem. Quæcumque moveri videmus, vel moventur *per accidens* vel *per se*. Atqui ea omnia, quæ sive per accidens sive per se moventur, ab alio moventur.—Major patet, nam per se dicuntur moveri ea omnia, quæ non per accidens moventur. Itaque

Probatur Minor per partes: α) *quæ moventur per accidens, non seipsa movent.* Per accidens aliquid moveri dici potest bifariam, primo quia inest ei, quod movetur, sive ut accidens ejus, sive ut locatum in loco: sicut *musicus* sanari dicitur, in quantum sanatur homo, cui accidit esse musicum; et similiter homo dicitur moveri, quia movetur navis vel currus, quo vehitur. Secundo dicitur aliquid per accidens moveri, quia movetur pars ejus: quo pacto dicimus hominem percuti, si manus ejus percutiatur. Jam manifesta inductione constat ea, quæ per accidens utrolibet modo moventur, non a seipsis, sed ab alio moveri.

β) *Quæ per se moventur, non se ipsa movent.* Nam per se dicuntur moveri, quæ non moventur per accidens, nimirum quæ non moventur ex eo, quod alteri accidunt, neque secundum partem. Porro hæc, quæ ita moventur, vel moventur præter naturam et violenter, vel secundum naturam. Atqui quæ violenter moventur, non seipsa movent, ut jam declaratum est. Quæ vero secundum naturam moventur, omissis iis omnibus, quæ non ab alio moventur, in duplici sunt genere: alia sunt viventia, quæ ex communi consensu dicuntur *se movere*, multoque magis animalia, quæ etiam localem motum habent; alia sunt gravia et levia, quæ in speciem etiam videntur se movere. Viventia quidem se movent, quia interno gaudent principio motuum vitalium: nihilominus principium motus effectivum in illis non est totum, quod movetur, sed anima, quæ per suas potentias est fons omnis vitalis operationis. Ergo quamvis viventia vere *se ipsa* moveant, non tamen in illis est unum idemque adequate id quod movet, et id quod movetur, sed realiter inadæquate

distinguitur. Gravia autem et levia vere nequeunt dici se movere: quia vel motus illorum provenit ex extrinseco impulsu et attractione aliorum corporum, et sic ab alia moventur; vel ex insita eorumdem proprietate necessario exigente tales motus, et sic causa eorum saltem principalis agnoscenda est in eo, quod talem corporibus illis naturam proprietatemque donavit. Præterea si gravia et levia moverent seipsa, viverent, nam movere seipsum pertinet ad rationem vitæ, ac proprium est animatorum. Atqui non omnia gravia et levia vivunt, nec animata sunt, ut manifeste patet. Tertio omnia quæ novimus certo seipsa movere localiter, videlicet animalia, possunt etiam sibi esse causa quietis. Atqui gravia nequeunt quiescere in suo motu. Quarto simili modo quæcumque manifeste scimus se movere localiter, sibi determinare possunt directionem et velocitatem motus; at gravia et levia profecto nequeunt sibi motum nec ejus accidentia determinare. Ergo non se movent (1).

Prob. 3.^o Etiam inductione alia. Motus physicus triplex est: augmentatio, alteratio, motus localis. Atqui in nullo horum motuum est prorsus unum idemque movens et mobile. Ergo vere assertitur, quidquid movetur, ab alio moveri.

Minor probatur per partes. Et primo quidem de motu augmentationis. Nam augmentatio fit, quatenus vivens agit directe in alimentum, alterando illud, et in suam substantiam convertendo: unde priores actiones, per quas augmentatio peragitur, vere transeunt sunt, nec immanentiam assequuntur usque ad unionem substantialem novæ partis ad priores in eodem supposito vivente. Ac proinde verum quidem est idem esse in viventibus suppositum movens et motum, nihilominus motio illa exercetur ab una parte in aliam, ideoque non officit universalitati aristotelici effati. Alteratio etiam non potest fieri ab eodem in seipsum secundum eandem

(1) Vide Aristot. (*Physicor.*, lib. 8, cap. 4), S. Thom. (*ibid.* lect. 7 et 8; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 13, *Secundo probat per inductionem*), et alios interpretes. Circa motum vero gravium et levium legendi sunt Suarez (*loc. cit.* a num. 21), Conimbricenses (*Physicor.*, lib. 8, cap. 4, quæst. unic.), Rubius *Ibid.* cap. 4, quæst. 2), Complutenses. (*Ibid.* disp. 28, quæst. 2) etc. Undenam porro procedat motus gravium, inferius dicitur.

partem: nam alteratio illa fieret vel ad acquirendam formam vel terminum connaturalem, qui a subjecti natura exigeretur, vel violentum vel neutrum. At jam vidimus in primo argumento nihil seipsum movere ad alterationem ullo ex istis modis. Denique eodem modo probatur nihil posse seipsum movere per se ad motum localem. Si quidem motus iste etiam aut est violentus aut extra principium intrinsecum propriae naturae, aut secundum naturam vel principium intrinsecum. At motus violentus et ille, qui caret interno principio, manifeste sunt ab extrinseco. Motus vero localis ex interno principio solum reperitur certo in animalibus, quae profecto licet se ipsa moveant, non ita tamen, ut idem sit adaequate movens et mobile, nam per unam partem ope potentiae loco motivae movent alias. Si demum contendas gravia quoque se movere ex interno principio ipsis insito, motus eorum externae causae illorum effectrici attribuendi sunt, quemadmodum fusa declarant prisci Doctores (1): ejusmodi enim motus eo tendere videntur, ut gravia et levia suum assequantur statum connaturalem, ac proinde videntur aequiparari posse dimanationi naturalium proprietatum.

Quae cum ita sint, facile.

Solvuntur
rationes
in contrarium
initio propositae.

310. Respondetur ad primam instantiam vel exceptionem Scotistarum petitam ex dimanatione proprietatum potentiarumque naturalium. Nam ut jam inuimus, proprietates non manant a substantia vel natura rei ut a causa principali, sed ut ab instrumento generantis, vel naturam talem producentis, cui proinde tanquam principaliori motori referenda est dimanatio illarum. Atque haec responsio valere potest pro quarumcumque proprietatum et potentiarum etiam spiritualium atque angelicarum dimanationibus. Si autem sermo sit de corporearum substantiarum proprietatibus est alia praeterea solutio: nam cum corpora componantur ex materia et forma, proprietates illorum, saltem si quantitatem

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 11 seqq.), apud quem videndae sunt instantiae, quae fiunt contra hanc sententiam motus illius gravium et levium efficienti causae eorundem tribuentem, num. 23 seqq. et num. 27 seqq. Cfr. Rubius (*Physicor.* lib. 8, cap. 4, quaest. 2), Conimbricenses (ibid. lib. 8, cap. 4, quaest. unic. art. 4), Complutenses (loc. cit. disp. 28, quaest. 2), Joannes a S. Thom. (ibid. quaest. 23, art. 1).

excipias, fluunt a sola forma ut *quo*, et recipiuntur vel in sola materia, ut multi volunt, vel in toto composito ratione materiae. Itaque non est penitus idem secundum rem principium etiam instrumentale dimanationis et subjectum recipiens.

Dices proprietatum dimanationem referendam esse in externum agens solum tanquam in causam remotam et per accidens, quae dedit formam, a qua caetera manant. Hic autem non inquirimus hujusmodi reductionem in causam per accidens, sed in causam per se ac proximam. Secus enim simili modo possemus sustinere etiam, quicquid movetur moveri ab alio supposito distincto, quod vel proxime agat, vel remote dederit virtutem agendi. — «Respondetur, non esse hanc reductionem in causam per accidens, sed in causam principalem per se, primo quidem ex intentione et ordinatione naturae; nam virtus illa data est, ut operetur tanquam instrumentum alterius, cujus vicem quodammodo gerit. Ut projecta non per accidens, sed per se dicuntur moveri a projiciente, qui impressit impetum, non solum quia dedit virtutem agendi, sed quia illam dedit cum hac habitudine, ut esset instrumentum, quod vice sui operaretur» (1).

Eadem esto responsio ad secundam instantiam de motibus corporum elasticorum, illi enim tendunt ad recuperandum statum connaturalem, quem per extrinsecum aliquid impedimentum amiserant. Itaque sicut ipsae proprietates et connaturalis status cujusvis rei est per efficientis causae suae operationem, ita etiam motus, qui ad conservationem et recuperationem connaturalis status diriguntur, eidem causae efficienti attribuendi sunt, quamvis proxime et instrumentaliter exerceantur per activitatem propriam ipsius rei. Motus ergo corporum elasticorum hoc pacto principaliter sunt ab extrinseco motore.

Ex dictis etiam constat, quid sit respondendum ad tertiam exceptionem de motibus gravium et levium. Circa efficientem causam motus dilatationis et contractionis, qui est in corde, varia perhibentur sententiae (2). Celebriores

(1) Suarez, loc. cit. num. 10.

(2) Vide apud Conimbricenses (*Physicor.* lib. 7, cap. 1, quaest. unic. art. 4).

sunt duæ: prima motum istum, utpote qui ad statum con- naturalem ac necessarium ad vitam animalis sustentandam spectat, efficientiæ naturalium proprietatum assimilat, et consequenter causam illius principalem putat esse ipsum generantem; fere sicut veteres gravium ac levium motum causæ illorum efficienti attribuebant, ut nuper notavimus. In qua sententia non tam facile est intelligere, quomodo motus cordis sit vitalis. Alii ergo motum ejusmodi existimantes esse prorsus vitalem, causam illius efficientem reponunt in anima ope potentiæ locomotricis; cum ergo subjectum receptivum ejusdem sit totum cor, facile expli- cant distinctionem realem, saltem inadæquatam, inter mo- vens ac mobile. Et idem ferme dici potest de motu pulmo- num in respiratione (1).

Quarta demum exceptio non respicit motum proprium ac physicum; nam actus immanentes sive cognitionis sive appetitionis exclusimus jam in ipso limine hujus tractatus a ratione motus cum communissima scriptorum sententia. Si autem scire cupis utrum etiam in hujusmodi motibus locum habeat aristotelicum effatum, de quo in quæssenti dispu- tamus, sic breviter respondemus.

311. PROPOSITIO 2.^a Prædictum effatum etiam ad actus immanentes sive cognitionis sive appetitionis satis proba- biliter extenditur.

Propositio non aliter probanda est, quam explicando effi- cientiam ejusmodi actuum. Et primo quidem actus intelle- ctionis (idem dic de sensatione) producit ab intellectu simul et specie intelligibili: supponimus enim modo non solum species ad intelligendum necessarias esse, verum etiam effe- ctive concurrere ad actum intelligendi. At non recipitur in specie, sed in intellectu; nam species est principium dumtaxat activum. Atqui intellectus absque specie distinguitur realiter inadæquate ab eodem intellectu simul cum specie. Ergo in motu etiam improprio intellectionis veritatem habet principium illud: *Quidquid movetur, ab alio movetur.*

(1) Plura dabunt de his Conimbricenses (loc. nup. citat.; et lib. 8, cap. 4, quæss. unic., art. 4, *Ad sextum dicendum*), et fusius Suarez (loc. cit. num. 33 seqq).

Etiã
in actibus
cognitionis
et appetitionis
videtur
locum habere
illud effatum:
*Quidquid
movetur, ab alio
movetur.*

Actus vero volendi (et idem fere intelligendum est de sensitivo appetitu) efficitur a voluntate, ita tamen, ut ipsa notitia objecti appetendi ac bonitas ejus simulque ingenita inclinatio in bonum in genere, procedens ab ipso Deo, ad singulos actus particulares concurrat. Cum ergo actus voli- tionis non recipiatur nisi in ipsa anima et voluntate, planum est etiam hic aliud esse movens et aliud motum.

Dices forte, nec cognitionem nec bonum cognitum concurrere ad volitionem in genere causæ efficientis, nec ullum motum physicum imprimere in ipsam voluntatem ad hoc, ut actum suum eliciat.—*Id enim nihil refert.* Quamvis enim cognitio boni solum concurrat instar conditionis, ipsa tamen objectiva ratio boni relucens in cognitione exercet veram causalitatem finalem (1), movetque ad actum. Unde verissi- mum est, solam animam cum suis potentiis appetitivis non esse perfectam sufficientiam ad actum appetitionis elicien- dum, esse autem ad eundem recipiendum. Cæterum fate- mur voluntatem ante actum suum secundum appetitionis non opus habere ulla motione physica extrinsecus sibi im- pressa, prout eam requirunt physicæ præmotionis ac præde- terminationis patroni. Verum de his alibi.

Contra hæc una restat difficultas in angelo substantiam suam intelligente. Est enim probabilis sententia multorum dicentium angelos, licet ad alia intelligenda egeant speciebus divinitus impressis, se tamen ipsos immediate intelligere absque ulla specie.—*Respondent* quidam respuendo senten- tiam illam (2). Si autem eam quis sectari maluerit, est enim sat probabilis et verior fortasse, quam opposita, non parum urget difficultas. Sunt qui actum, quo angelus seipsum intel- ligit, eo quod mere naturalis est, et ad convenientem naturæ statum a primo instanti creationis ab intrinseco necessarius, in ipsum Deum, auctorem angelicæ naturæ, tamquam in causam principalem refundant (3). Alii rem aliter expedire conantur dicentes etiam in prædicto actu reperiri aliquam

Utrum
predictum
effatum locum
habeat in angelis
substantiam
suam
intelligentibus.

(1) Vide *Ontolog.*, num. 421, pag. 1183.

(2) Ita Conimbricenses (loc. cit., art. 2, in 3.^a conclusione).

(3) Ita v. g. Complutenses (loc. cit. quæst. 1, num. 19), qui rem colligunt ex ipso S. Thoma (1 p., quæst. 63, art. 5).

diversitatem, saltem inter principium proximum efficiendi et recipiendi: «nam cum substantia angeli ad alias intellectio- nes uno tantum modo concurrat, scilicet ut principium prin- cipale, ad illam concurrat duplici modo seu titulo, scilicet, ut principale principium, et ut objectum, ac veluti ultima forma sui intellectus in *esse* intelligibili. Atque ita principium proximum illius actus non est sola potentia intellectiva, sed ut constituta suo modo in actu primo per suam substantiam sibi conjunctam in ratione objecti intelligibilis actu. Potentia vero proxime receptiva, ac tota ratio recipiendi illum actum, est solus intellectus; neque sub hac ratione habet substantia majorem concursum ad illum actum, quam ad alios. Ita ergo fit, ut etiam in eo actu adæquatam principium proxi- mum agendi et recipiendi distinguatur, ut includens et in- clusum» (1).

Denique dicendum est de locali motu, quo spiritus mo- vent seipsos, qui certe motus physicus et sensibilis non est, nec extensus ratione subjecti, nec proinde ita fieri potest, ut una pars alteram moveat. Quomodo ergo in angeli vel animæ separatæ motu locali vitare potest, ut idem prorsus seipsum moveat? Si supponamus id, quod alibi docetur, potentias operativas etiam in spiritibus creatis re distingui ab eorum substantia, nullo negotio res explicatur. Nam prin- cipium proximum quo effectivum motus localis est potentia accidentalitatis, principium autem receptivum est ipsa substan- tia. Ergo quamvis unum idemque sit suppositum quod mo- vet, et quod movetur, sicut in multis aliis motibus etiam pro- priis contingit, tamen est realis differentia in principis proximis; principium namque proximum quo efficiendi motum illum est re distinctum a subjecto, in quo recipitur (2).

Quæ cum ita sint, aristotelicum effatum eo pacto ac sensu, qui in prænotandis declaratus est, universalem veritatem videtur obtinere, multoque magis in motu physico ac proprio (3).

(1) Suarez (loc. cit., num. 48).

(2) Vide Suarez, (loc. cit., num. 41, 42), ubi plura require, ac dif- ficultates quasdam solutas vide (ibid. num. 55).

(3) Cfr. Suarez, (loc. cit., num. 52 seqq.)

ARTICULUS VII.

De motu locali; ubi inquiritur, utrum ejus causa sit impetus mobili impressus.

312. Post expositam motus generatim sumpti rationem, possit hic de triplici motus physici speciales tractationes institui. Verum de augmentatione agendum est, ubi de vita vegetativa sermo erit: quæ vero de alteratione præcipue dis- putari solent, ad intensionem ac remissionem qualitatum, successionem et continuitatem alterationis, ac rarefactionem dilatationemque revocantur, quarum primam in *Ontologia* tractatam reliquimus (1), de altera plura in superioribus dic- ta sunt, tertiam denique ad sequentem disputationem re- servamus. Itaque de solo motu locali pauca quædam in præsentiarum disserere juvat.

Ratio dicendorum.

Motus localis est motus, qui terminatur ad *Ubi*, seu transitus de loco in locum, vel continua mutatio secundum ubicationem, ita nimirum ut mobile novam jugiter acquirat ubicationem, relicta priori: vel tandem est actus ejus, quod fertur, quatenus fertur; unde vocatur quoque *latio*, *φορά* (2). Unde respectum dicit et ad spatium, in quo motus peragi- tur, ita ut mobile continuo præsens fiat diversis ejus parti- bus, et ad tempus, quo duratio illius successiva mensura- tur. Qualis porro realitas sit motus localis, in quonam subjecto fiat, et quomodo a mobili distinguatur, facile judi- cari potest ex similibus quæstionibus circa motum genera- tum agitatit.

Quid localis motus.

Motus localis, qui est ab alio, active sumptus, prout nimirum produci a movente potest in mobili a se diverso, dividitur in *pulsionem*, *tractionem*, *vectionem* et *conversionem* seu *vertiginem*. Pulsio obtinet, cum *movens facit aliquid mo- bile a se distare movendo*, et dividitur in *impulsionem* et *expul- sionem*. Dicitur autem *impulsio*, quando *movens sic pellit aliquid mobile, quod non deficiit ipsi deserendo ipsum, sed simul cum eo*

et quotuplex.

(1) Vide a num. 328, pag. 046 seqq.

(2) Η μὲν οὖν κίνησις κατὰ τόπον, *φορά*. Arist., 7.^o *Physic.* cap. 2.

tendit, quo ducit. Expulsio autem est, quando movens sic movet, quod tamen deficit des-rendo ipsum, nec comitatur ipsum usque ad finem motus (1). Tractio e converso est ille motus, quo movens mobile facit versus se moveri. Unde movens in pulsione se habet ad mobile ut terminus a quo est motus ejus; in tractu vero se habet ut terminus ad quem. Conversio seu vertigo est quidam motus compositus ex tractu et pulsu: Cum enim aliquid vertitur, ex una parte pellitur, et ex alia trahitur (2). Tandem vectio est motus, quo aliquid movetur ad motum alterius. Quamobrem illud quod vebitur, non movetur per se, sed per accidens, in quantum scilicet aliquid alterum movetur, in quo ipsum est, sicut cum aliquis vebitur a navi, in qua est; vel super quod est, sicut cum aliquis vebitur equo. (3) Ut vides, vectio fieri potest per pulsionem, tractionem et vertiginem. Cum vero aliunde ipsa vertigo ex pulsione tractuque constet, sequitur omnem motum, qui est ab alio, active consideratum, ad pulsionem et tractionem tamquam ad sua primitiva elementa revocari (4). Verum hæc plana sunt. Planum quoque et ex iis, quæ in aliis scientiis traduntur, compertum omnibus est, quid sit motus *rectus, curvus, obliquus, directus, reflexus, rotatorius, translatorius, vibratorius, perpendicularis, horizontalis, circularis, ellipticus, parabolicus*, etc. Multa de motu locali disputari possent, nisi jam ad finem properandum nobis esset: verum aliis omissis, quæ partim apud veteres, partim apud mechanicæ rei scriptores videri queunt, duo tantum investiganda sunt; primum, quænam sit causa localis motus, secundum, utrum omnis corporea activitas in motu locali sit posita; quorum primum hic, alterum in sequenti disputatione, Deo favente, tractabitur.

313. Circa efficienem causam motus primo loco posset illorum opinio commemorari, qui motum materiæ essentialem dixerunt. In quorum numero sunt Democritus et Epicurus alique materialistæ, qui ex atomorum intrinseco motu

Circa motus
localis causam
tariæ opiniones
recensentur.

- (1) S. Thom. 7.^a *Physicor.*, lect. 3, paragr. e.
- (2) Ib. paragr. h.
- (3) S. Thom. ibid. paragr. f.
- (4) Ibid. paragr. i.

præditarum fortuito concursu mundum hunc exstitisse somniarunt. Occasionalistæ e converso omnis motus sicut et cujuslibet alterius causalitatis, solum Deum auctorem effecerunt. Quare in hæc sententia corpora quidem *moventur*, non tamen *movere* possunt, *recipiunt* motum, minime autem illum *producunt*. Communis sententia sive veterum sive recentiorum agnoscit causas creatas motus, prout passim testatur experientia. Id tamen controvertitur jam inde ab antiquissimis temporibus, a quam causa proxima procedat motus projectorum. Et de projectis quidem solis est controversia, quia quæ naturalibus et consentaneis motibus moventur, causas motus naturales habent, ut v. g. animalia, quibus inest potentia locomotiva, qua seipsa moveant. Quid autem dicendum sit de motu gravium, alibi definiendum erit. Cum ergo motus projectis naturalis non sit, oportet causam illius agnoscere. Et causas quidem multas videmus motum corporibus impulsu vel vi aliqua imprimentes; hinc tamen potissimum oritur difficultas. Nam motus sæpe brevissimo impulsu et instantanea vi genitus, durare solet etiam cessante actione moventis, ut accidit cum lapis funda projectur, vel exploditur tormentum bellicum: immo vero doctrina est Physicorum, motum ejusmodi, si omnis abesset resistentia medii, nullumve obstaculum occurreret, perpetuo duraturum esse, quemadmodum ex lege inertie innoscitur. Quænam ergo potest esse causa hujusmodi motus, qui adhuc extincta omni motoris actione non extinguitur. Duæ sunt hac de re sententiæ præcipuæ: prima, quæ tribuitur Aristoteli (1), censet motum fieri per medium, aërem vel aquam, etc., quasi a tergo impellens, ita nempe ut dum lapis v. g. sursum projicitur, aër manu permotus propellat lapidem simulque aërem immediate circumstantem, a quo mox ulterius impulsu suo moveatur, donec partes aëris circumstantis, quo lapis urgetur, motum suum paulatim amittant. Et ita senserunt antiquiores Stagiritæ interpretes, ut

Causa motus
projectorum

secundum
Aristotelem.

- (1) Apud Benedictum Pererium (*de communibus* etc. lib. 14, cap. 5). Rubium (lib. 8, *Physicor.* cap. 10, tract. 2 *de principio motus violenti*), Conimbricenses (Ibid. lib. 7, cap. 2, quest. 1, art. 8), aliosque veteres passim.

et secundum
aliam longe
communio-
rentiam.

Simplicius, Themistius et Averroes, ac postea Burlæus, Major et Mayronis (1), quos secutus est P. Benedictus Pereira (2); idemque diserte docuisse videtur S. Thomas in commentariis librorum *de Cælo et Mundo* (3). Longe tamen communior et probabilior est contraria sententia tenens projecta immediate moveri impetu vel virtute ipsis a motore impressa; secundum quam doctrinam, saltem ut multis placeat, causa principalis motus projectorum est motor externus, instrumentalis vero vis huiusmodi vel impetus eisdem impressus et inhærens. Ita opinantur post Albertum M., Capreolum et alios veteres (4) Dominicus Sotus (5), Vazquez (6), Suarez (7), Rubius et Conimbricenses (8), Sylvester Maurus (9), Rhodes (10), Soarez lusitanus (11), Antonius Mayr (12), Joannes a S. Thom. (13) et alii multi (14), quam etiam doctrinam teneant graves viri recentiores, ut cl. P. Pesch (15), cl. P. De San (16) et cl. Van der Aa (17). Et idem quoque videtur docuisse S. Thomas non uno in loco, ut cum hæc scripsit: *Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam: unde sagitta tamdiu movetur a proficiente,*

- (1) Apud Rubium et Conimbricenses.
- (2) Loc. nup. cit.
- (3) *De Cælo et Mundo*, lib. 3, lect. 7, paragr. f.
- (4) Apud Rubium (ibid. num. 5).
- (5) Super 8.^{um} libr. *Physicor.* quæst. 3, ad 2.^{am} conclus. 2.^a
- (6) In 1.^{am} part. disp. 91, cap. 2.
- (7) *Metaphys.* disp. 35, sect. 6, num. 24.
- (8) Locis nuper citatis.
- (9) *Quæstiones philos.* lib. 3, quæst. 55.
- (10) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 6, quæst. 2, sect. 3.
- (11) *Physic.* tract. 3, disp. 3, sect. 1.
- (12) *Philos. peripat.*, pars. 3.^{am} num. 531. Cfr. etiam De Benedictis (tom. 3, lib. 6, quæst. 3, cap. 81, Cardin. Ptolem. (*Philos. mentis et sensuum, Physic. general.* dissert. 11, 12), Roselli (*Summ. philos.*, tom. 2, præst. 25, art. 4).
- (13) *Physic.* quæst. 23, art. 2.
- (14) E quibus tamen plures facile concedebant projecta etiam juvari in suo motu a medio circumstante.
- (15) *Philos. natural.*, num. 400.
- (16) *Cosmolog.* num. 260, pag. 336.
- (17) *Cosmolog.*, propos. 30.

quamdiu manet vis impulsus proficientis (1). Cæterum utraque sententia videtur convenire in agnoscendo impetu tanquam principio proximo localis motus; et solum discrepat relate ad subjectum, in quo impetus immediate recipiendus sit.

314. Ad quæstionis definitionem illud ante omnia statuendum censemus, motum non esse corporibus essentialem. Id constat 1.^o ex notissima illa proprietate, quam sub *inertiæ* nomine Physici communiter materiæ adscribunt, vi cuius corpora nec motum cum quiete, nec quietem cum motu possunt suapte vi commutare, nisi externa aliqua causa perturbatrix accedat. Quæ quidem proprietates demonstrat materiam sive ad motum sive ad quietem indifferenter sese habere. Atqui nihil profecto indifferenter se habet ad id, quod sibi est essentialia. Ergo... 2.^o Si materia essentialiter motum postularet, vel certam quoque motus directionem flagitaret, vel non. Primum dici nequit, nisi velimus experientiæ contradicere, secundum quam videmus corpora quaquaversus, ubi suppetit apta causa, cieri posse. Neque alterum, quia motus esse non potest absque certa directione.

Motus
localis non est
materiæ
essentialis.

Nec dicas cum recentioribus Physicis, nihil in rerum natura quiescere, sed omnia perpetuo motu agitari, saltem secundum minimas corporum particulas.—Respondebo enim 1.^o id certum minime esse, nec satis solide probari, sed tantum ut meram *hypothesin* proponi ad alias fulciendas *hypotheses*. 2.^o Etiamsi id verum certumque foret, non probaret motum materiæ esse essentialem. Nam certum est, motus moleculares, etiam in eorum sententia, qui eosdem obtrudunt, posse variari, salva manente particularum essentia: quod profecto esse non posset, si motus foret essentialis materiæ.

Illud secundo loco statuimus, motum localem non soli Deo, tamquam causæ unicæ, adscribendum esse. Id namque testatur perennis ferme experientia; ac plane evincunt argumenta, quibus occasionalismus in *Ontologia* profligatus est.

Non est solus
Deus causa
motus localis.

(1) S. Thom. (*de Potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.^{am}). Cfr. quæst. *de Anima*, art. 11, ad 2.^{am}

Si quis vero causas speciatim motus inquirat, facile deprehendet corpora alia ab aliis cieri; animam præterea rationalem, immo et sensitivam in animalibus, virtute pollere movendi et sua et aliena corpora: Theologi demum eandem angelis potentiam corporum loco motricem competere demonstrant. Verum hæc plana sunt.

315. PROPOSITIO. *Projecta non moventur nisi per impetum sibi a movente vel projiciente impressum.*

Motus
projectorum
causa proxima
et instrumentalis
est impetus
a projiciente
impressus.

Probatur 1.^o Etiam si per medium circumstans moverentur projecta, nondum vitatur necessitas impetus vel nisus a movente impressi. Nam explicandum tunc esset, a quo et quomodo medium ipsum moveretur ad hoc, ut impellere posset projecta.—**Respondebis** medium moveri manu projectientis. **At certum est**, inquam, projecta moveri, etiam retracta manu et cessante projectientis actione. Ergo ideo moventur ex tua sententia, quia urgentur ab ipso medio. Atqui medium, reponam, urgere porro projecta nequit, cessante projectientis actione, nisi retineant illa in hærentem sibi efficacitatem ac virtutem loco motricem. Ergo et ipsi, qui ad explicandum motum projectorum confugiunt ad medium, necesse est, ut agnoscant necessitatem virtutis vel impetus projectis impressi.

Dices forte cum quibusdam veteribus, recursum istum ad virtutem impressam a motore ideo necessarium non videri, quia cum corpus projectum movetur, locus quem præcedenti momento occupabat, vacuum relinquitur: quare ad locum istum vacuum replendum, illico confluit aër, qui proinde necesse est, ut instet a tergo, et impellat mobile projectum.—**Verum respondeo**. Motus iste aëris a tergo impellentis necessario præsupponit vacuum locum; at vacuum ipse locus vicissim præsupponit corpus prævie in motu constitutum. Quomodo ergo potest aër ille causa existere motus projectorum? Cum potissimum ut projecta porro pergant, debeant viam sibi aperire devicta resistentia ejusdem aëris.

Instabis. Sæpe videmus multa per aërem ferri corpora leviora; immo vero ventus validus graviora etiam non raro pondera huc illud propellit. Simili modo etiam flumina præterlabentia in suo cursu abripiunt ligna et alia corpora.—

Respondeo ita sane se rem habere. Sed si attente consideretur, aër desinit tunc esse *simplex medium*, et convertitur in causam principalem motus.

Prob. 2.^o propositio. Plura passim occurrunt certissima phaenomena, quæ, si supponatur a projiciente vel motore imprimi projectis impetum vel virtutem motricem, egregie declarantur; aliter autem declarari non possunt. Ergo stat propositio.

Prob. antec. 2) Motus projectorum pergit adhuc, quamvis desinat actio causæ, a qua ille initium duxit. Sic desinentibus nautis remigare, navis adhuc porro provehitur: sic etiam turbo vel trochulus, quem puer funiculo circumagat, pergit diu in gyrum agi. Ergo oportet causam aptam hujus continuationis assignare, quæ profecto non est solum medium, ut modo explicatum est; nec aliam facile est invenire impetu, quem dicimus, aptiorem. **β)** Præterea notum omnibus atque compertum est, corpus in motu constitutum aëri, vel alio dirigi non posse absque vi, eaque sane potentiori, quam quæ necessaria foret ad tenendum in quiete. **γ)** Item tormenta bellica ingentem stragem edunt, cum celeri motu quantiunt mœnia. Et generatim longe est efficacior actio mechanica corporis projecti, quam ejusdem corporis quiescentis: item in eodem corpore tanto validior est impetus, quo major est velocitas, qua movetur. Horum omnium illico patet ratio, si causam motus proximam esse vim quamdam mobili additam dixeris; tunc enim principium adæquatam effectuum illorum non est solum corpus, quod movetur, sed corpus simul cum virtute atque impetu impresso a motore. Aliter autem non video, quomodo possint talia phaenomena apte explicari; motus enim ipse formalis non est ex se activus, cum sit purus modus rei motæ, purus transitus ab uno in alium locum.

Jam si quæras, quidnam sit iste impetus vel nisus vel vis motrix, respondebo esse veram qualitatem verumque accidens a motore productum in mobili, eidemque inhærens. Non puto autem mobile per ejusmodi qualitatis receptionem proprie *alterari*, quemadmodum docent quidam recentiores: non enim omnis *mutatio secundum qualitatem* est propria et stricta alteratio, sed solum mutatio secundum qualitatem

Impetus
iste est accidens.

terti generis, passionem videlicet ac patibilem qualitatem. Potest tamen dici alteratio late sumpta. Verum hæc satis constant ex superius dictis circa alterationem.

Dices 1.^o Motus violentus non procedit ab intrinseco. Sed motus projectorum est violentus. Ergo non est ab intrinseco. Atqui esset ab intrinseco, si procederet ab impetu ipsi projectis inhærente. Ergo.

Resp. *dist.* Major.: sive immediate sive saltem mediate, *conc.*; nunquam esse potest immediate ab intrinseco, *neg.*

Conc. Minor., et pari modo *dist.* conseq.

Et *contradistincta* Minore subsumpta, *neg.* ultimum conseq. Non enim repugnat, a causa extrinseca immediate causari in subjecto qualitatem inhærentem et alienam ab eodem, quæ deinde ad motum violentum, vel certe non naturalem, illud inclinet. Sic calor aquæ ab extrinseco impressus eidemque inhærens facit illam calefacere alia corpora, quin tamen calefactio ejusmodi sit aquæ connaturalis.

Dices 2.^o Explicari non potest, cur impetus ille languescat, et sic motus ipse tandem cesset; itemque definiri nequit, num detur in sola projectione, an etiam in tractione, latione ac vectione. Ergo rejiciendus est prædictus impetus.

Resp. Impetum generatim languescere atque evanescere ob resistantiam externorum corporum, quæ projecto corpori obsistunt. Si autem corpus in vacuo moveretur, nunquam impetus extingueretur, ideoque motus, nulla obsistente causa externa, perpetuo duraret secundum legem inertie, quemadmodum docent Physici. Quod vero alterum spectat, non una est auctorum sententia: «Negant aliqui, inquit Sylvester Maurus; ego sequor partem affirmativam. Et de tractione probatur, nam si aliquis fune trahat pilam ligneam rotundam, et repente desinat trahere, pila non sistit, sed aliquo tempore motam prosequetur versus trahentem. Ergo dum trahitur, concipit impetum in illam partem, in quam trahitur. De latione probatur; quia dum aliquis currit deferens manu pilam rotundam, si sinat illam cadere, aliquandiu rotabitur in partem anteriorem. Ergo concepit impetum, dum ferebatur. De vectione demum probatur; quia cum navis fertur velocissime, si repente sistat allisa littori vel brevibus et syrtibus; qui stabant in navi, vel

cadunt, vel vehementer vergunt in illam partem, in quam navis ferebatur. Ergo conceperant impetum versus illam partem» (1). Secundum quam doctrinam, si gravitatem corporum concipias instar jugis cujusdam tractionis, quæ a terra exerceatur, facile intelliges, cur motus gravium constanter accelerare debeat.

Dices 3.^o Sæpe nullus producitur impetus, ut v. g. cum quis irrito conatu conmittitur ingentem rupem movere.

Resp. Quid inde? Nos enim hic id unum contendimus, quotiescumque datur motus, causam illius agnoscendam esse, causam autem proximam motuum innaturalium esse impetum vel nisum mobili a motore impressum. Cæterum quando resistantia mobilis tanta est, ut a motore loco moveri nequeat, non est putandum conatus motoris nihil prorsus efficere, nam ut experientia ipsa docet, conatus ejusmodi pressionem et calorem producant in movente et in mobili. Verum plura de his quære, si lubet, apud veteres auctores (2).

CAPUT III.

DE TEMPORE.

Absoluta tractatione motus, natura ipsa rerum postulat, ut de tempore instituat disputatione: est enim maxima inter hæc duo connexio non solum in re, verum etiam in conceptibus. Et tempus quidem diximus in *Ontologia* esse generatim durationem successivam. Nunc autem accuratius ejus naturam ac divisiones definire oportet, cæterasque quæstiones pertractare, quæ circa temporis rationem institui possunt, solebantque a veteribus auctoribus diligenter disputari.

(1) Mauri, loc. cit., in responsione *Ad quartum*, 3.^o *quæritur*...

(2) Vide præsertim Mayr et Rhodes.